

Za
308



**DESIDERIVM
QVOD MORTEM PRAEMATVRAM
PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLEN
TISSIMI DOMINI
DOMINI
IO. AEGYDI**

S R I LIBERI BARONIS
AC BANERESI

AB ALEMANN

DYNASTAE SCHMIDEBERGAE
POTENTISS. POLONIARVM REGIS
AC SAX. PRINCIP. ELECTORIS A CON
SILIIS SANCTIORIBVS SVMMIQVE RERV
METALLICARVM DIRECTORIS VI
CES GERENTIS

**HEROIS DE REPVBICA ET
LITERIS IMMORTALITER
MERITI**

APVD SE CONSECVTVM EST
**QVA PAR EST PIETATE
ATQVE OBSERVANTIA
PERCENSET**

ACADEMIA VITEMBERGENSIS

Flumina, diuiditis magni quae Saxonis oras,
Albi, pater, uos, Plissa, simul Sala, Mulda
et Elyster,

Quisle ac Nissa, uagas nunc fundite largius undas,
Horrisonos uestris ripis resonantia planctus.

Nam fuit, heu ! **ALEMANNIADES**, atque occidit ille

Illustris, quem nulla satis laudauerit aetas,
Cuius et altitonans signauit nomen in astris,
Ille **ALEMANNIADES** tam splendidus occidit heu !

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Vos, quae cantatis, Philomelae, dulce rubetis
In solitis tristi numeroque ac gutture carmen,
Dicte Oreadibus, Panis periisse ministrum,
Scite qui cunctas pascendi nouerit arteis.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Albiacis in aquis renatantes, plangite cygni,
Misniacis nymphis referentes fata sinistra,
Queis obiit natus Vulcani, fusca metalla
Qui docuit multa arte suos effodere terris,
Subsidioque undae ac flauis de fordibus ignis
Depurgare, hominumque dedit studiosus in usus.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Luget et ipsa Themis misere, dolet alma Minerua,
Quaeque, quod in sacra non amplius aede sacerdos
Relligiosus agit, nec munera iusta ministrat.
Eusebie luget, quae praefide culta sub illo
Assidue, quaeque absque metu sua uera locuta est.
Pierides lugent, et luget praeses Apollo,
Omne decus doctae cecidit quod gentis honosque,
Illiut fulcrum mors diro subruit ense.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Non tantum Actoridem charum sibi luxit Achilles,
Ut furibunda feri prostrauerat Hectoris hasta,
Tantum haud Dardanius fortem rex Hectora-
luxit,

Iliacos circum muros cum traxit Achilles:
Quantum ALEMANNIADA E mortem Rex

Sarmata luget.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Abiicit ex luctu consueta metallicus arma,
Ac negat occultas per tristis adire fodinas,
Nulla per abruptos auditur machina montes,
Tempore iam longo fornax aeraria friget,
Nec noua semestri spatio conspecta moneta est.

Za 308 FR R

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Nunc furere omne nefas, nunc tollere cornua gestit
Barbaries alte, nunc tendere brachia longe
Vana superstitione, nunc cunctos ducere retro
In sua regna breui, speque haud fallente, minatur.
Iunior e teneris manibus nunc abiicit aetas,
Helladis et Latii quae docta uolumina nobis
Flos dedit, et nostri sapit ex scriptoribus aeu*i*.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Haec, quis erit, scite qui damna resarciat arte?
Haec, quis erit, nostrae reparet qui commoda-
genti?

Certe ALEMANNIADAЕ similis uirtute, labore,
Ingenio, doctrina, dexteritate, fideque.

Tristia Saxonicae nunc carmina fingite Musae,
Diue, Tua nobis opera post Teque carendum est,
Prospera sed decreta etiam post fata manebunt
Saxoniae, hinc toto passim celebrabitur orbe
Gloria, tot meritis tanto ac conamine parta.

Tristia Leucorides cecinere haec carmina Mu-
sae,

Tristia porro canent memores grataeque futurae
Pro meritis, quae in se cumulauit gratia Diui

VITEMBERGAE LITERIS CHRIST· SCHROEDERI ACAD. TYP
A· O· R· c1515 CC XX

Poem 308, Fr

ULB Halle
004 394 720

3



Sh






DESIDERIVM
QVOD MORTEM PRAEMATVRAM

*IRIS ATQVE EXCELLEN
ISSIMI DOMINI*

**OMINI
AEGYDI**

LIBERI BARONIS
C BANERESI
LEmann
E SCHMIDEBERGAE
POLONIARVM REGIS
CIP. ELECTORIS A CON
ORIBVS SVMMIQVE RERV
CARVM DIRECTORIS VI
EST GERENTIS

DE REPUBLICA ET
S IMMORTALITER
MERITI
E CONSECVTVM EST
R EST PIETATE
E OBSERVANTIA
PERCENSET



ACADEMIA VITEMBERGENSIS